



1. Alberti J. Valent: / diff. de
munificentia Divina in
N. T. Lipsie, 1668.
2. Arcularij J. Dan: / diff. sistens
theses theologicae de Quæstiō-
nibus aliquot controversis,
Marburgi, 1695.
3. Hunny J. Agid / proposi-
tiones theologicae de eter-
na predestinatione filiorum
rum Dei ad salutem,
Francofurti, 1594.



99 A 6909

F 5.
DISPUTATIO TERTIA.

DE PRINCI-
PIIS VIRTUTVM
MORALIVM.

*Ex Aristotelis vertio Eth. ad Nicom. fide-
liter desumta.*

Cuius Theses
DEO TER MAXIMO AVSPICE

Præside
M. HENNINGO ARENTSEHE
pro ingenij modulo defendendas
fuscepit

In incluta Beati Iulij Iulia
die 14. Decemb.

ANTONIUS VVEISEN VVERNI-
gerodensis Respondens.

HELMSTAADII
Ex officina typographica Iacobi Lucij.

ANNO 1600.

**MAGNIFICO, NOBILISSIMO
CLARISSIMO, & DOCTISSIMO
viro I. V. Doctori.**

IOHANNI IAGEMANNO
DOMINO
IN HARDESEN,
Gottingen &c.

**REVERENDISSIMI ET ILLV-
STRISSIMI PRINCIPIS, DOMINI HENRICI IV.
LII, postulari Episcopi Halberstadensis, ducis Brunsuu-
censem & Luneburgensem &c. Can-
cellario fidelissimo:**

Domino Mecœnati & promotori suo
submissè colendo,

*Has de principis Virtutem theses
Subiectissimè,*

dedicat & inscribit

ANTONIVS VVEISEN
Respondens.





DE PRINCIPIIS VIRTUTUM.

THESES I.

Dicitur explicatam naturam virtutis, ordo resolutius eius principia declarari postulat, quia de principijs agi non posuit, priusquam virtutis essentia explicata fuit & demonstratum, quod ita ad summum bonum ducat.

2. Imprimis autem de inuoto & spontaneo agendum est Ethico, quia hic præfiri debet, que actio laude & vituperatione absolute digna sit, que veniam & misericordiam mereatur. Id quod in spontanei & inuiti cognitione maximè consistit, siquidem, qui spon-
te male agit, vituperari debeat, qui inuitus, veniam impetrat. Cap. 1.

3. Maximè quoq; conductit legislatoribus, quales Ethici requi-
runtur, inter inuita & spontanea peccata distinguere, cum inuitò
amicum interficiens excusari possit, sponte autem idem patrans,
nequaquam.

4. Dicemus igitur primum de inuoto, quia ipsius modi nobis
multò notiores sunt, & ex eo spontanei naturam inuestigabimus,
quia contraria contrarijs iuxta positā sese facile explicant.

5. Inuiti autem aliquid agere putamur vel coacti, vel peri-
gnorantiam, ut ita due sint inuita actionis rationes, violentia &
ignorantia, quas distinctius determinabimus, à violento auspican-
tes.

6. Violentum est, cuius principium est extra, nihil conferente
patiente, ut quando homo ab altero sublimis & inter terram cœ-
lumq; medius rapitur, aut si in rebus naturalibus declarandum est,
quando lapis sursum proiecitur, ignis cogitur descendere. Tum
enim negl. lapis ascendendo, negl. ignis descendendo sua natura alla-
borat.

7. Si vero principium agendi sit extra, res tamen impulsa sua motione consiperet, ut cum cælum circumrotat ignem & bonam partem superioris aëris: aut nauita urgente tempestate merces exsudat, aut homo bonus à Tyranno coactus turpia patrat, quo parentes & liberos saluet, dubitatio occurrit, ad quam classem id genus actiones referantur.

8. Nam violencia nemo facile dixerit, cum proijiciens merces sua facultate concurrat: nec vero spontaneas, cum nemo ultra merces eijceret, nec vir bonus sponte mala ageret.

9. Quapropter mixtae quidem sunt, sed tamen ad spontaneas magis accedunt, cuius ratio, quod dum aguntur, à nobis experantur. Nam dum nauita videt, suæ vita & navi impendere periculum, nisi exoneret nauim, praeligit istuc mercium iacturam facere potius, quam vitam perdere.

10. Electioni superuenit facultatis concursus, qui & actionem magis spontaneam facit, siquidem vir bonus posset sibi imperare, ne sordidam actionem suscipere propter salutem parentum: cogit tamen suam facultatem, ut id faciat potius, quam parentes perdat.

11. Inde etiam tales actiones interdum laudantur, interdum vituperantur, interdum veniam merentur, quod nequaquam fieret, si inuitæ magis essent, cum ob ea, quæ inuiti vel coacti agimus, nemo laudari iure debeat.

12. Qui enim ex necessitate ineuitabili molesta & sordida perzulerit, maioris boni indipiscendi gratia, sicut Decius ut ergo, cum alter obtineri victoria non poterat, se deuouit pro patria, Curtius se precipitauit in foveam ardensem, Timoleon occidit fratrem Tyrannum, quia aliter Corinthum liberare non poterat: fortasse à multis cordatis laudem reportabit.

13. E contrario, qui vel propter exile, vel apparet bonum turpia subit, cum potuisse effugere, omnino vituperandus est, ut Alcmaeon interficiens matrem ex patriis insinuet: Medea discepens fratrem,

fratrem, ut patrem remoretur: Consul Romanus per patibulum se agi à Samnitibus passus, ut vitam seruaret: Masanissa dicens Si phacis uxorem, cum aliter eam liberare non posset.

14. Rursus etiam nonnulla ita se habent, ut licet non virtuarentur, nec tamen laudentur, quæ medium gradum obtinent, & venia digna sunt, ut Cleopatra, cum non poterat triumphum Romanum aliter effugere, seipsum interfecit, Hannibal, ne hostibus praedaficeret, aut Cato, ne Caesaris arrogantiæ substerneretur, Lucretia, ne foret fabula macelli, sibi ipsis mortem intulerunt.

15. In talibus igitur valde arduum est recta eligere, sicut etiam in itinere dubitabat Caesar, debeatne patriæ libertatem eripere aut ab inseguendo Pompeium absistere: Brutus item & Cassius diutinabant, quid de Caesare acturi essent. Lex tamen perpetua & generalis harum actionum norma debet esse, ne quid virius & honestas detrimenti capiant.

16. Priusquam autem latus abeamus examinanda est nonnullorum opinio, qui iucunda & pulchra violenter impellere appetitum somniant, cum & extra sint & vehementer alliciant.

17. Nam si illorum opinio procedit, quare non appetus omnis sit violentus, cum semper à bono prolectetur, negat, nisi eius obiectum bonum illum inuitet & excitet.

18. Patet etiam illius assertionis falsitas, ex eo, quod appetus in bonum tendens, cum volupitate id faciat. Violenta vero, quia contra naturam cogunt, perpetuò iunctum habent dolorem.

19. Quapropter ridiculum est, dum appetus fertur in bonum illicitum, obiectum externum accusare, quasi principium appendi & exequendi non sit nobis internum, inq; nostro arbitrio situm.

20. Nunc ad ignorantiam progrediendum est, que non semper facit inuitam actionem, cum non ubiq; insequatur pænitentia. Nam ubi actorem facti non pænitet, sicut, qui lapidem cani intendens, & ex improviso feriens nouercam, respondit: ne sic quidem

male: quomodo actio dicetur inuita? quomodo item spontanea, cum
sit ignoranter?

21. Quia nihilominus actio cum pænitentia coniuncta, ab al-
tera pænitentiæ vacua differat, illam inuitam vocabimus, hanc in-
definitè non sponte factam.

22. Sed ut omnia plenius enucleentur, sciendum est, aliud esse
ignoranter, aliud per ignorantiam agere. Ignorans enim agit, qui, quid
agit, propter corruptum iudicium non intelligit: per ignorantiam,
quando ignorantia primaria causa est, ut actio suscipiatur.

23. Sæpe enim discriminis hoc notatur, quoniam ebrius & iratus
agunt ignorantes, non tamen per ignorantiam, ut causam, sed per
ebrietatem vel iram, impellentes eos ad actionem.

24. Ulterius distinguendum est inter ignorantiam IVRIS seu
uniuersalium, qua versatur in generalibus, quæ unusquisque scire &
potest & debet: Et ignorantiam circumstantiarum vel FACTI,
quæ particulares circumstantias spectat, quas in ipso actu perspicere
impossibile est.

25. Voco autem particulares circumstantias, desumptas vel ex par-
te cause vel actus. Causam considero vel efficientem cardinalem un-
de oritur circumstantia agentis: vel instrumentalem, quæ parit cir-
cumstantiam: quibus auxilijs: vel materiam, quæ parit circumstan-
tiam, circa quam, vel finem, qui parit. Quare. Actum considero
secundum formalitatem, quæ dat ipsam actionem: secundum men-
suram, ubi & quando, secundum qualitatem, quomodo.

26. In his omnibus circumstantijs contingit aberrare, præterquam
in prima, nisi quis seipsum ignoret: magis tamen excusat, qui in
fine, & materia circa quam hallucinatur, quia hæc maximam igno-
rantiam argunt.

27. Nunc verò ignorantia IVRIS non excusat, quia in nostro
arbitrio fuit, IVS scire: sed particularium ignorantia culpam lenit,
quia circumstantie sciri prout non potuerunt, præsertim, si pæni-
tentia sequatur.

28. Faci-

28. Facile iam est ex declarato in iure elicere spontaneum, quod dupli in iure opponitur & definitur: Cuius principium est in ipso agente, scientie singula, in quibus est actus.
29. Ad extreum disputandum est cum Platone, qui ex ira & cupiditatibus facta negabat sponte fieri. Nam si ex perturbationibus proficiuentes actiones non sunt spontaneae, tum bruta, quae perturbationibus tantum ducuntur & pueri, nihil sponte agent.
30. Quaratur etiam ex Platone, an simul bona & mala non sponte fieri afferat; an alterutrum tantum. Non hoc, quia virumq; procedit ex eodem principio: nec illud, quia omnes ex ira & cupiditate dependentes actiones, aut bonum aut malum recipiunt, quarum tamen quedam sponte fiunt, scilicet, quae ad mediocritatem redactae sunt à virtute.
31. Quin & in iure actiones inferunt dolorem, sed, quae à perturbationibus proficiuntur, plerumq; desinunt in voluptatem. Deinde, quae appetere nos monet natura & virtus, nequaquam ad violentia referenda sunt. Sed natura nobis appetitus multorum innatus est: interdumq; necessitas & honestas flagitant, ut irascamur.
32. Deniq; manifesto evincitur spontaneum in his operationibus, quod sint in nostra facultate, quippe cum possimus iram inhibere, eidemq; vicissim frenare relaxare.
33. Hactenus declarato spontaneo, quia non omne spontaneum Cap. 2. constituit virtutem, sed illud, quod cum electione complicatur, nunc de electione agendum est, que virtuti familiarissima & intima est, eamq; magis determinat, quam actus externi.
34. Strictior vero est electio, quam spontaneum, siquidem omnis electio est spontanea, sed non omne spontaneum est electio. Nam pueri & iumenta sponte quidem agunt, sed non ex electione: & quae repente à nobis fiunt, sponte quidem facta sunt, sed sine electione.
35. Proinde à vero longissime ab ludunt, qui electionem cum ira & cupiditate confundunt. Nam hæc in brutis & pueris dominantur,

nantur, à quibus exultat electio, qua mentis discursum ubiqꝫ presupponit.

36. Priuatim verò cupiditatem ab electione longissimè abesse, argumento si continens & incontinens, quorum hic cupiditati obsequitur, electionem elidit: ille electione uitetur, cupiditatibus relataur. Sic enim cupiditas electioni contrariatur, dum quod ratio eligit, ipsa repudiat, indicio, quod electio non sit cupiditas, quippe, qua cupiditati non aduerteretur.

37. Idem sequestrat iram ab electione, quia ira rationis dominium, in quo consistit electio, excutit, planegꝫ ad alia precipitat hominem, quam ratio suadet & eligit.

38. Nec minus, qui voluntatem pro electione habuerunt, decipiuntur, quia non vident electionem tantum versari in ijs, que sunt nostri arbitrij. Amentem enim esse iubeo, qui eligat impossibilia. Longe autem alia est voluntatis ratio, qua saepe in easfertur, quæ vires humanas transcendunt: vir etiam bonus recta ratione aliquando optat, qua illi pro runc obringere nequeunt.

39. Apparet aliud discrimen, quod electio spectet tantum nostra vel nostrum commoda: voluntas etiam aliorum, utpote si duos certantes videam & alterum præ altero lauream reportare velim: Item, quod electio ultra media non extendatur: voluntas autem omnium primum in finem & per hunc secundariò in media vergat.

40. Deniqꝫ hallucinati sunt & ij, qui opinionem pro electione obirudere voluerunt. Nam opinio non tantum in agilibus, sed & æternis & speculabilibus locum habet, & mensuratur vero ac falso: Verum in perpetuis nulla est electio, ideoqꝫ vero vel falso non estimatur, sed pro natura rerum, in quibus hæret, bono & malo.

41. Quapropter etiam laudatur opinio, quia vera est, & quod bonum est speculando inuenit: electio verò, quia bona est; & bona non speculatur, sed ad agendum appetit & ad executionem ordinat.

42. Porro opinio philosophica neminem bonum vel malum facit ciuiliter, sicut electio. Imò, ut rem paucis conficiamus, si opinio in idem

idem coincideret cum electione, perpetuo, qui bene opinaretur, etiam bene eligeret, cum tamen non rareretur mala eligi in bona opinione aduertamus.

43. Electio igitur tale spontaneum est, quod non directo fertur in obiectum, ut ira & cupiditas, sed consultationem insequitur, ex qua, quae optimè iudicata sunt, eligit, sicut ipsum nomen indicat. Qua de causa, ut electio rectius cognoscatur, consultatio consideranda est potissimum.

44. Consultationem intelligo, non quae hominibus mente motis Cap. 3. videtur talis, sed ijs, quibus integra est ratio: Eaq; ut rectius explicetur, amolienda primum sunt, quae non recipiunt consultationem, ut ex notioribus nobis ad ignorantiam consultationis naturam descendamus.

45. Principio, æterna & immutabilia excludimus, item ea, quae æterna quidem non sunt, sed semper eodem modo recurrunt, siue natura, siue alia causa ita disposuerit: pariter etiam individua, & quæ à fortuna nru dependent, quia amentium est, deliberare, de ijs, quæ nullis humanis operis confici possunt.

46. Nec tamen omnia, quæ ab hominibus effici possunt, sub deliberationem cadunt. Nam finium nulla est consultatio, quia præsupponi debent, tanquam meta, ad quam inueniantur media, sicut medicus non deliberat, an ipsi sanitas sit finis proposita: aut imperator exercitus an victoriam obtainere debeat: Deinde, quæ suis viribus nequeunt produci, nemo in consilium vocet, quia, licet per se non sint impossibilia, illi tamen sunt, ideoq; frustâ consultet Græcus quomodo Scytharum regnum sit instituendum: frustâ disputeret Luius, quis ex ducibus Romanis potuisse obsistere Alexandro M. si in Italiam appulisset, cum iam pridem Alexander diem obiisset.

47. Relinquitur igitur consultationem versari circa ea, quæ sine in nostra facultate, nec tamen omnia. Nam, quæ certa sunt, deliberationi non subiacent, que est collatio mediorum, ut certum & opimum inueniatur. Scripturus enim vocem, non deliberat, quam literam præmittere debeat, cum id iam notum & certum sit.

Cap. 4.

48. Hinc etiam inter scientias & artes, quae propriè non delibera-
rant, magis ad deliberationem inclinant artes, cum sint incertiores
proprie operationem in particularibus, quam scientiae, que tum de-
mum consultationis vestigia retinent, quando in medijs unam con-
clusionem conscientibus preferendis dubitant.

49. Incerta igitur recipiunt deliberationem, ea, quae in medijs
haerent, quae, si plura sunt, inter se conferuntur, ut eliciatur optimum,
si in unum est, quomodo fini applicandum sit, disquiritur, ita ut elec-
tionem semper precedat consultatio. Electio enim tum accedit,
quando consultabile quoddam appetibile visum fuit.

50. Vnde definitur electio, quod sit deliberativa appetitio rerum
earum, quae sunt in nostra potestate.

51. Cum vero in virtutis actionibus, si resoluantur, effectio pri-
ma sit, secunda electio, tertia consultatio, quarta voluntas, nunc de-
claratis primis, de voluntate quoq; dicendum est.

52. Voluntatem vero quia finem magis respicere supra diximus,
nunc satis erit, si eius obiectum inquiramus, quod nonnulli statuerunt
perse bonum, non aduententes, quod homo improbus malum experat,
nonnulli apparens bonum tantum, qui nullum relinquunt voluntati
verum obiectum.

53. Dicemus igitur, sicut corpori sano, salubria conducunt, aegro
nocent persæpe: ita rectè informato ratione obiectum esse perse bo-
num: vulga vero apparens, cuius causa est, quod ille rationem sequar-
tur, vulgus vero omnia ad voluptatem referat.

Cap. 5.

54. Ex his omnibus iam patet non tantum virtutes sed & virtia
esse spontanea, quod posterius sine ratione negauit Plato, cum prius
concesserit, siquidem contrariorum eadem est ratio: Et si secundum
virtutem agere virtutis est, iam omittere talem actionem vitijs
erit. Sed si agere in nostra potestate est, quare non etiam non agere?

55. At ridiculum fortasse fuerit dicere hominem ad generandum
filios se mouere, non autem ad virtia: quasi non sit eadem ratio in
procreatione liberorum & productione actionum viciosarum.

56. Maxi-

56. Maximum verò inde sequitur absurdum, quod disciplina esset frustra cum legibus. Nam non adhortamur aliquem ad id, quod ipsius vires transcendit, ut ne doleat, si pungatur: ne cadat, si præcipitetur de recto: Tum etiam, si vitio in nobis non sio præfinitur pœna, quare non etiam ignorantia, quæ nobis naturaliter inest: pernide ut ille puniebat ebrium dupliceret, quia sibi ultra ignorantiam consciuerit, aut ut magistratus vulgo plectit eos, qui ius, cum scire possent, non sciunt.

57. Sed cum id genus prestigiae suam ultra prodant absurditatem, non est opera precium ijs refutandis immorari. Quocirca concludimus actionem secundum virtutem, cum declarata principia includat, spontaneam esse.

COROLLARIA PHILOSOPHICA. *M ET APHYSICA.*

1. An existentia in omnibus infra Deum rebus ab essentia realiter distinguitur.
2. Quodnam inter singulare, maximè vniuersale & speciem infimam sit primum cognitum cognitione confusa originali.
3. An vniuersalia realiter aliquid sint præter nomina, vnitatemq; præcisionis absq; singularibus, & vniuersalitatem existentem, qua definiuntur esse actu in pluribus, absq; operatione mentis habeant.

PHYSICA.

1. An Aristoteles ex veris fundamentis solidè cognoverit creationem, siue per emanationem æternam, siue nouam in tempore.
2. An Elementa quatuor, à forma vel generante mouentur secundum locum, & num in mixto remaneant.
3. An animæ vegetatiua & sensitiua ex potentia materialiæ

riæ per augmentationem appositæ vel per nutritionem restitutæ eliciantur, vel aliunde influant: intellectua vero sit tota in qualibet parte & tota in toto.

MATHEMATICA.

1. Num circulus possit quadrari.
2. Num Ptolemæi hypothesis apparentijs exactè satisfaciat & principia scientiæ saluet: Deinde, an Copernici vel noua tertia hypothesis accuratius apparentias demonstraret.
3. An orbes realiter in cœlo sint intersecti.

POLITICA.

1. Num Cato & Scipio post imperfectum Pompeium iure obstatent Cæsari: & an Brutus & Cassius eodem iure occuparint Cæsarem, vbi includitur quæstio: An cuius Tyrannum interficere liceat.
2. Inter simplices rerum publicarum status, num melior sit Aristocracia, quam Monarchia, & deinde, ad quem statum referendum sit Imperium Romanum & Turcicum.
3. Num consultius sit rebus pub. præficere pauperem vel diuitem.

LOGICA.

1. Num constitutio Logicæ Rameæ sit legitima & veritati congrua.
2. An Logicus demonstret per omnes causas.
3. An quarta figura syllogismorum sit alicuius momenti.

RHETORICA.

1. An Rhetorica sit pars Logicæ.
2. An in solo sermone poliendo versetur Rhetorica.
3. Num genus Didascalicum sit Rheticum.

PAREGON.

Fortasse dubitat alius, an definitio hominis, qua definitur animal rationale, essentialis sit, id est, an homo sit rationalis.

Ridete, quicquid est domi cachinnorum!

FINIS.

99 A 6909



SL

VD 17

Rehö

Fl. 69.

Farbkarte #13

B.I.G.
8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

